

ORATIO

HABITA IN SOLENNI
PRÆMIORUM DISTRIBUTIONE

IN C. R.

GYMNASIO ACADEMICO


GORITIENSE

1859.



GORITLÆ

Typis Paternollianis.



ORATIO

DE MODO QUO ADOLESCENTES STUDIIS

VACARE OPORTET

IN SOLEMNEM PRÆMIORUM DISTRIBUTIONEM

IN C. R.

GYMNASIO ACADEMICO GORITIENSI

EXEUNTE ANNO SCHOLASTICO MDCCCXXXIX.

habendam

ELUCUBRATA

A

MATTHÆO ZIGALLE

DISCIPULO

secundae Humanitatis classis.



GORITIÆ

TYPIS PATERNOLLI.

77423



A 29. IX. 1947/8316



Admodum verenti mihi, ut in hunc solennem conventum adferre aliquid valeam, quod Majestati Augustissimi Cæsaris aliqua ex parte conveniat; virorum vero scientiis omnibus ornatissimorum aures non offendat, vestrisque simul commilitones dilectissimi! studiis dignum videatur: hæc spes paullatim adfulsit, ab illis viris literatissimis, quæ est eorum erga meam ætatem indulgentia, ubi quid elegantix defuerit, veniam benignam, a vobis autem eam æquitatis rationem fore expetendam, ut rem ipsam et argumentum, in quo versabitur oratio mea, intueri, quam sermonis leporem et elegantiam pensitare malitis. Et cum ego conqueri, quod in hoc studiorum curriculo juveniles annos inani labore contriverint, nec optatos inde fructus ceperint, audissem complures; errores vero, qui in adolescentes dominantur, nonnullos vidissem; ab hoc illustri cœtu abhorreere non judicavi, si, qua ratione juvenes literarum studiis se applicare oporteat, breviter consideremus. Quæ dicentur a me, quantulacunque fuerint, aut e præceptoris dignissimi monitis collegi, aut etiam ex usu mihi et hujus lustrī experientia depromsi. Verum cum omnia vestris studiis ita propria sint ut iis admoneamini, quomodo et Principis Munificentissimi voluntati, et præceptorum labori utcumque respondeatis; vestro autem bono consulatis: cohortari vos, ut animis auribusque adesse memineritis, supervacaneum existimo.

Ac primum, quoniam de literarum studiis agitur, id velim animo vobiscum reputetis, quanta eorum, quæ in scholis traduntur sit dignitas, quanta præstantia, quantaque amplitudo, adeo ut discipulum eodem pudore suffusum ac perculsum hanc scholæ ædem intrare recte jubeam, quo quis olim numinis alicujus templum sacro involutum horrore ingressus esset. Mihi quidem ii, qui eo se ardore ad studia contulerunt, ut quidquid utilium scientiarum tractaretur, pleno haustu perbiberent, ac nihil in alto positum, nihil impervium relinquerent; omnibus ætatibus vixisse, orbem omnium peragrasse terrarum; omnia, quæ unquam viri celeberrimi, cujusvis ævi decus et ornamentum, sive Musarum leporem, sive sapientiæ aurea præcepta, sive alia divino ore locuti sunt, hausisse, ii saluberrima doctrina, quæ homini cœlum, cœlo hominem reddit, penitus imbuti, ii denique, ut paucis complectar omnia, quantum

homines ratione belluas superant, tantum propemodum singulari eruditione supra reliquos homines evecti videntur. Quæ omnia cum magna et sublimia esse videamus, eadem et vires etiam animi insignes, ingenium acre, memoriam facilem ac studium flagrans suo jure postulare, nec quemlibet e medio protractum ad literarum cognitionem idoneum esse, quis inficiabitur? Quemadmodum igitur accepimus, antiquitus cum in obscuro recessu arcana sacra agerentur, profanos omnes fuisse summos: ita mihi quoque ab illustri hoc Minervæ limine, quum indocilium tum desidum ignobile vulgus arcere liceat, Quocirca priusquam nomen quis huic studiorum militiæ dederit, diligenter mihi, si in castris illis non sine gloria signa ferre voluerit, num quid sibi virium, num quid ingenii insit, se excutiet, et ut Flacci verbis utar, versabit diu, quid humeri valeant, quid ferre recusent. Neque non permagni hæc momenti sunt. Quid enim miserius, quid infelicius eo cogitari potest, qui invita Minerva, ut ajunt, in hanc literarum palæstram delatus est, quin nascentem placidis Musæ oculis adspexerint? Laborat et æstuat totusque literario pulveri insudat; ast nullo Genio labori ærumnoso adspirante oleum revera et operam perdit, quoque magis libros versat, quo majori contentione adnititur, eo minus se proficere summo cum angore deprehendit. Accusat ille miser naturam, quod sibi difficilis ingenium novercæ more finxerit. At mihi id tormentum Aeolidæ videtur, reluctans saxum adverso monte trudentis! Et fugit, fugit interea tempus non reversurum, longique labor perit irritus anni. Illicet ille gemit: O studiis frustra contritum mane, incassum dies tota consumta labore, nequidquam vigilatæ noctes! Quæ dicta sunt a me, commilitones! vera esse, haud scio an nonnulli huic cœtui intersint, qui probe agnoscant et experti sint. Qui ut consilio item, quod eorum bono proferam, morem gerant, etiam atque etiam moneo. Respiciant illi adolescentes, qui malo alite, nullis animi dotibus ad studia accesserunt, quam fluxum omne tempus, præsertim juventutis, quod pretiosissimum est, ubi ætas floridum ver agit, ubi sementem jacias, qua tibi hiemis solatium maturescat; respiciant, inquam, et Musis primo quoque tempore valedicant, aliamque conditionem, qua uberiores fructus sunt capturi, sibi quam ocissime vindicare, studeant. Video equidem, nonnullos asperiori me vultu intueri, quod ego, eos qui plures annos in scholis jam contriverint, in tenuem quemdam statum non dubitem ablegare. Quod consilium meum ut defendam, non dicam, cum omnis felicitas animi tranquillitate consistat, hanc non scientiis, sed virtutibus definiri; silentio præteribo, quo quis paucioribus doctrinis sit imbutus, eo ipsum minori officio obligari; interdum vero doctissimum pravis cupiditatibus transversum agi solere; illud solum a vobis peto, ut hominem aliquem pertenuis conditionis, qui viribus fretus honesta ratione victum sibi quæritat, cum isto juvene, qui studiorum curriculo perfecto

nihil nisi acerbam perditionis temporis memoriam secum abstulit, tacite componatis. Ille tenui, sed sufficienti victu contentus, non districtus gravioribus curis vivit et ita vivit, ut raro superiorum pallori invidet: ille bono nemini despiciatui est, ac mortalium societati pro parte virili fructuosus esse conatur. Hunc miserum, quæ tandem sors manet? scilicet, ut pictam naufragii tabulam, quod in scholis fecerat, cum non nisi reptando a classe in classem promoveretur, collo sibi adpendat, ut ad nullam artem idoneus, nemini utilis, nulli non molestus vitam perquam calamitosam agat. Quare denuo ejusmodi adolescentes, qui et laborem et tempora tarditate ingenii perdunt, per eorum salutem, perque parentum amorem moneo, immo precor obtestorque, ut sine mora ab his atriis secedant.

Utinam vero, commilitones! hi soli essent, contra quos mea sit oratio dirigenda. Residet aliud adhuc discipulorum genus, quos ego non commiseratione, verum summo vituperio ac pœna gravissima dignos censeo; istos dico, qui, cum a natura liberaliter præstantissimis dotibus instructi sint, ingenii acumen per summam turpitudinem otio diffluere ac evilesce patiuntur; istos dico, qui adeo se in desidiam ac socordiam ingurgitarunt, ut ceu bruta in diem viventes, non literas, non studia, non officia ulla, sed calamistrum cincinnosque, sed ludos, sed jocos curent; istos denique dico, qui hoc amplissimum Musarum emporium vilissimum lenocinium inanium oblectationum existimant, quique adeo omnem pudorem exuerunt, ut reprehensionem increpantis magistri gravissimam eodem vultu accipiant, quam si nimium quantum laudibus extollantur. Negligentes vero et desides et protervos esse dicam? quid? quod eo impudentiæ ac malitiæ procedere soleant, ut sibi ex stolido liberalium artium contemptu et ex probrosa oscitanti segnitie gloriam quærant, atque quidquid discipulorum literis laudabili studio vacat, ab industria ad suam socordiam revocare aditantur? Ut vero parentibus imponant, isti, quæ est eorum impudentia, culpam in naturam transferunt, ingenii debilitatem prætendunt. Quantas vero etiam sæpenumero tragœdias de magistri quoque injustitia aut severitate excitant? quæ ipsi menda incogitant? Proh immortalis Dei fidem! Quid turpe otium hominum animos cogit? Adeone ingrati esse sustinent, ut dum se coram genitoribus purgant, præceptoribus, qui teste Quinciliano parentes non corporum, sed mentium habendi sunt, pro utilissimis præceptis indignissimas criminationes reddant!

Miseri profecto parentes, quibus ejusmodi filius obligit, quem et generasse et eduxisse non voluptati, non decori, verum luctui, ignominia, damnoque vertitur. Qui si omnia nati vitia resciant, quid eos tum flere, quanto in luctu et squalore versari putatis? Illi filium non amissum, sed perditum, non elatum funere, sed

immersum nequitiae lugent ac deplorant. Atqui magna in spe erant, alere se domus suae columen et ornamentum, senectutis fulcrum ac solamen, patriae civem fidelem, caelo cultorem religiosum. Hac spe ducti omnes sibi commoditates, omnes delicias, vitae saepe necessaria denegabant; quinimmo illi, quod non ita raro fit, dum filio in scholis versanti consulerent, aures suas interdum lacrimis tenerisque minorum natu vocibus praecludebant. O illam laetissimam spem, quanta nunc tristitia subsequuta est! Quem bonum, quem gnavum, quem frugi sperabant, eum corruptum, socordem et quodammodo proditorem deprehenderunt. Quem nisi ferreum haec calamitatis imago non commoveat? Atqui isti eam cogitatione praecipiant, et tamen ludunt parentum lacrymas et suspiria, ludunt pietatem, quam Cicero fundamentum omnium virtutum esse testatur. Ita illi juvenes se exhibent: num igitur dubitabit quispiam, praecipendum esse iis, ut quam celerrime ab hoc juvenum ingenuorum conventu abeant, proficiscantur? Qui parentum monita spernit, qui magistri praecepta spernit, qui officii religionem spernit, eum ferendum esse putetis, ut in hac clarissima scientiarum luce versetur? Vos, vos mihi testes estis, sanctissima atria, vos sacri parietes, Musarum sedes, eos non esse dignos, quorum profanis auribus mentibusque divina doctrinae ac sapientiae praecepta profundantur! Vos augusta penetralia sacris circumsonantia vocibus, istud inveteratum dedecus non patimini, ejicitis, expellitis! Ab his liminibus secreti et segregati, ubi velint, Oeni (*) irritum funem torqueant poenamque vecordiae ac perfidiae operiantur, quae eos non pede claudo desertura est.

Vos vero adolescentes dilectissimi! quorum ingeniis natura insignem praestantiae suae ac sapientiae notam impressit, quique laudabili desiderio fervetis, quam plurimas scientias non carptim delibandi, sed totam earum dulcedinem absorbendi, item, quae restant, attentis auribus percipiat. Atque hic silentio non praetereundum arbitror, quanta mihi nonnullorum quum impudentia tum stoliditas esse videatur, qui utut nulla praediti experientia, sine ulla rerum cognitione, et expertes judicii sint, tamen de dignitate ac fructu cujusdam disciplinae, cui vel maxime vacare debeant, absurdam ferre sententiam non vereantur. Cui enim inauditum est unius alteriusve praecox de antiquis linguis iudicium, cum molestis vociferationibus studiosiorem aliquem rustice urgeant: Quid tu? satin' sanu's? Quid te istis abstrusis sententiarum involucris exanimas? Istae Grajorum nugae Romanorumque figmenta mirum quantum

*) Oenus (oknos pigritia) persona allegorica in quadam Socratis imagine, vir funem torquens, quem asina adstans mox perrodit. Inde natum est proverbium: *Oenus spartum torquens* de labore inani. Caeterum observabantur oratori versus ex Propertii elegia: Arethusa ad Lycotam lib. IV. 3.

Dignior obliquo funem qui torqueat Oeno
Aeternamque tuam pascat aselle famem.

a magistro prædicantur! Ferendine ejusmodi vituperatores sunt? Quid enim? nonne pro veterum linguarum studio clarissimorum virorum auctoritas et testimonia apertissime loquuntur, quorum patrociniis viguit semper vigebitque? Nam ex quo post Romani imperii excidium literarum studia, quæ bellorum tumultu barbarorumque furore in diuturnum silentium sese abdiderant, rursus renasci aureusque ille sol doctrinæ paullatim illucescere cœpit, non ætas, non respublica, non civitas ulla fuit, qua non ii, qui sibi literati nomen vindicare vellent, summo ardore et Græciæ et Latii literis operam darent, ita ut non ignorasse videantur, ex iisdem ceu uberrimis fontibus, quum consonum ingenii animique cultum, tum fervidum erga honesta et elegantia omnia studium permanere. Et sicut cætera sidera jubar et splendorem ex illo immenso lucis oceano mutuuntur, ita maxima omnium ætatum lumina ab illo infinito egregiarum rerum thesauro fulgorem suum depromendum putabant. Ast quid ego exempla tempore remota commemoro? Est, est profecto ea nostri sæculi celebritas tantusque perelegantium ingeniorum proventus, ut vere gratulandum nobis esse videatur, quod eo potissimum ad studia accesserimus; nec unquam veterum scripta majore in honore erant, quam nunc clarent florentque. Quid? nonne divinis sub auspiciis beneficentissimi Principis, qui omnes honestas literas sinu suo fovet atque protegit, per totum Austriacum orbem scholæ, totidem proborum civium segetes institutæ et divisæ sunt, quibus Græcæ et Latinæ linguæ cognitio in præcipua celebritate versatur. Taceant ergo isti literarum osiores et barbatuli scientiarum censores; comprimant vocem absurdam, stultitiæ indicem; nisi adeo frontis esse perfictæ confiteantur, ut cum hominibus sapientissimis contendere audeant. -- Sed jam vos, commilitones ingenui, oratio mea compellat. Vos adolescentes, quo decet, pudore præceptorum prudentium consiliis obsequentes omne disciplinarum genus, quæ vobis proponuntur, tam fervido studio prosequamini, tamquam easdem omnes per totum vitæ spatium in deliciis atque amoribus habituri sitis; singulatim vero unamquamque disciplinam eo ardore complectamini, quasi ea vobis unice sit profutura. Qualibet præterea materia præsterni vobis campum amplissimum putate, quo et artium proventum ubertetis, et laudem honoremque vobis pariat. Si quis tamen est, quem tot curarum et laborum pertæsum sit, quique acerbè ferat, quod Musæ sacratas sedes in cacumine montis posuissent, quem non nisi strenua industria eviceris; id quidem interdum reputet, sub hac cœli temperie non in illas poëtarum beatas oras se esse deveniturum, ubi, quum hinc florida prata jucundis nemorum viretis, illinc lætissimæ segetes perennibus arborum fructibus lusu amœno alternent, per areas violis rosisque obsitas deambulet. Diu jam illa aurea sæcula defloruerant. Ego vero non sine magna Dei providentia ita confirmatum autumem, ut in quovis

statu grata ingratis, dulcia amaris mixta sint; ex quo efficitur, ut et voluptatibus malorum vice major dulcedo accedat, neve mortales, quem ob finem in terris versentur, obliviscantur. Semper tamen persuasum habete, nullam difficultatem tantæ esse molis, tantum negotii postulare, quæ forti et assiduo labore nequeat superari; victa autem difficultate, quo quis majore opere fuerit adnixus, eo dulciorem præmii fructum persentiri. Unum adhuc reliquum est, ingenui adolescentes! quod ego maxime commendandum vobis existimo, ut id, quod non solum huic studiorum rationi, verum in quavis vitæ conditione futurum est saluberrimum, *officii* nomen, qualecunque fuerit, sanctum et inviolabile putare jam nunc adsuescatis. *Officium* vos undique sequatur, ei sanctissimum sacramentum dicite. Ubi primum sol nitidus diei lucem adfert, *officii* vestri meminertis perque diei spatium et ingruente noctis quiete ejus sanctis vinculis teneri et obligari vos cogitate, nec tamen eam vobis unquam provinciam arrogetis ac præsumatis, ut partes vestras censoria virgula quodammodo notare licitum reamini.

Quamobrem agite commilitones dilectissimi! studiisque summa alacritate ac singulari industria et solertia operam sedulam navate, cumque Græcorum literatissimi, sicut literarum monumentis proditum est, tanta discendi cupidine flagrant, ut eo consilio transnavigarent maria, regiones barbaras perlustrarent; remotissimas oras inviserent et quidquid ubique memoratu dignum fuerit, avide adnotarent: vobis autem patriæ beneficio et munificentia optimi Principis prona doctrinam hauriendi via præmunita rectoresque dati sint amplissimi, qui adolescentiam vestram præceptis erudiant, scientiis alant, moribus exornent exemplisque instituant; vestrum profecto est, eo vehementiori impetu in hoc scientiarum cursu velis remisque contendere, ut et patriæ spei justissimæ sufficiatis, vobisque honorem et speciosissimum futuræ ætatis concilietis ornamentum.



Narodna in univerzitetna
knjižnica



00000445843



